

aliquid ultra sortem exigeretur, uti facile fieri possit. Et de facto ita fit Frisinge.

- 108 Queritur I. Quid? An? & quando usurarium sit pactum Antichristis? Resp. I. Antichristin (vulgò ein Pfandschaff) esse pactum inter Creditorem & Debitorem, ut Creditor tandiu pignore sibi per Debitorem porrecto uti, ejusque fructus lucrari possit, donec debitum sibi sit persolutum. Ita in re communis, & jam dictam est supra Lib. III. Tit. XXI. de Pignor. §. II. a num 53.
- 109 Resp. III. Pactum Antichristis, nisi alius justus titulus interveniat, esse illicitum ac usurarium. Ita Layman lib. 3. tract. 4. cap. 16. n. 17. cum Theologis, & Canonistis communiter, contra quosdam Civilistas. Patet id ex c. 1. & 2. h. t. juncto Summario ibid. ubi dicitur, quòd sit usura lucrificare fructus rei pignorate. Unde severissime ibidem prescribitur, quòd si quis sortem suam (deductis expensis) de fructibus Pignoris jam receperit, absolute illud restituat Debitori, vel computentur in sortem, abque alia usurarum exactione. Concordet c. Cui contra 6. de Pignori, ubi dicitur, quòd secundum Canonicas Sanctiones fructus Pignoris restituitur, & in sortem debeant computari: item l. 1. & 2. C. de Pignorat. action. Accedit ratio; quia aliqui mutuator, seu Creditor vi solius mutui, atque ratione dilatae solutionis aliquid lucratur ultra sortem, videlicet fructus Pignoris: quæ est manifesta usura per dicta supra. Addidi autem notanter, nisi alius titulus interveniat. Nam tunc secus foret dicendum: & quidem tales tituli plures communiter assignantur, & præsertim quatuor ibid. à Laymano referuntur, ob quos possunt percipi fructus ex Pignore, sine diminutione sortis.
- 110 Primus est. Si fructus ex Pignore vel Hypotheca non superent quantitatem pensionis, quæ jure Censûs super eadem Hypotheca juxta morem Patriæ constituti potest exigi. Sic, ut evitetur usura, potest subministranti pecuniam oppignorari ager, vel prædium adjecto contractu censuali (de quo plura §. 8.) ut ex eo fructus percipiat jure censûs, donec fors restituatur.
- 111 Secundus est. Quando Creditor fundum, qui Pignori destinatus erat, certo pretio emat cum pacto revendendi, quamprimum Debitor vult pretium refundere. Tunc enim res Pignori destinata amittit naturam Pignoris, & possessori tanquam vero Domino fructificat, ejusque periculo perit. Porro valere venditionem cum pacto Redemptionis appposito, est textus clarus in l. fundum. C. de Pactis. inter Emptor. & Venditor. de quo plura citatus Layman.
- 112 Tertius titulus, & casus, in quo fructus Pignoris non computantur in sortem, habetur c. Salubriter. de Usuris, ubi dicitur, quòd Maritus, qui recipit Pignus pro Dote promissa à Socero, non teneatur fructus ejus in sortem computare; sed possit interim donec Dos ei promissa solvatur, fructus Pignoris abque ulla Dotis imminutione percipere, ut nimirum interea habeat, unde sustineat onera Matrimonii. Rationem hujus singularis constitutionis dat Pontifex ibi: Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera Matrimonii supportanda: quasi diceret: cum Dos detur ad onera Matrimonii supportanda, in id frequenter ad ea non sufficiat, æquum est, ut Maritus, qui fructus ex Dote utpote necdum soluta percipere nequit, eos interim percipiat ad eum finem ex Pignore pro Dote deposito.
- 113 Uno verbo: fructus Pignoris istius conceditur Marito ratione lucri cessantis, quod ex Dote, si

jam fuisset persoluta potuisset accipere; cum fructus Dotis alioquin cedant Marito ad sustinenda onera Matrimonii. Hinc, ut optime Lessius lib. 2. cap. 20. n. 141. cum aliis, quamvis, si Pignus Creditori detur ob solam securitatem debitorum, debeant fructus ex eo percepti in sortem computari per textum n. 109. relatos. Secus tamen est, si Pignus non ob solam debiti securitatem detur, sed etiam, ut interim Creditor fructus ejus percipiat loco alterius rei debitæ, ut sit in causa Dotis non solute sub cautione Pignoris dati.

Quartus tandem titulus, & casus, in quo fructus Pignoris non computantur in sortem, habetur in proprietario seu Domino directo Feudi, vel etiam Emphyteutis: nam Dominus à Vasallo recipiens Feudum in Pignus (idem intelligunt Doctores de Emphyteuta, oppignorante rem Emphyteuticam suo Domino directo) fructus illius percipere potest; dummodò interim ab ipsius servitibus abtineat, nec tenetur fructus ejus in sortem computare. Ita enim habetur clarissime cap. 1. de Feudis, & c. Conquestus. de usuris. junctâ Glossâ ibid. v. de Feudo.

Rationem hujus dant Doctores; quia hæc est 114 conditio Feudi. Nam cum vasallus interim non præstet servitium (uti supponit textus citatus) sed ab eodem sit liber, suspenditur obligatio contracta inter Dominum & vasallum, & res feudalis vadit ad primævam naturam; sicque Dominus utitur fructibus ejus, ac si feudalis non esset coalescente directio ac utili dominio, ut notat Fagnanus in cap. 1. de Feudis. n. 2.

Nec objicias contra dicta num. 109. asserendo 116 textum ex c. 1. h. t. ubi dicitur; Usuram esse, lucrificare fructus rei pignorate, nisi forte Ecclesie Beneficium fuerit, quòd redimendum ei hoc modo de manu Laici videatur; ergo cum exceptio firmet regulam in oppositum, id erit licitum, & quidem favore causæ Pie. Non contra est, quòd, ut innuit Glossa ibid. v. Beneficium, ac etiam Lugo Tom. 2. de Justit. & Jur. Disp. 25. n. 14. posse fieri de Redemptione inique vexationis, quâ possessiones seu fructus Beneficij Ecclesiastici male ab iniquo possessore detinentur, nec videntur alio modo posse recuperari. Tunc enim licitum est Clerico; fructus Pignoris accipere, idque abque usura, cum sum dum taxat recipiat, ut patet. Et hanc responsonem magis approbat eadem Glossa in c. Conquestus. h. t. nam neque favore causæ piæ licitas esse usuras, patet ex dictis supra à n. 106.

Queritur II. Quid? & an licitum, vel potius 117 usurarium sit pactum Legis commissoriae? Resp. Ad hoc quæsitum satis patere ex dictis Lib. III. Tit. XXI. §. II. a n. 55. ubi latè de hoc Pacto.

Queritur III. Quid sint? Unde veniant? Et an 118 liciti, vel potius usurarii existant Montes pietatis? Resp. I. Montes pietatis sunt æraria, aut granaria publica piorum hominum liberalitate ad hunc finem erecta, ut ad ea tanquam ad montem confiderenter refugere, & inde sub Pignoris cautione mutuum pro sua necessitate & indigentia habere valeant indigentes, ne ab usurariis, præsertim Judæis per usuras successivè opprimantur, seu totaliter depauperentur.

Cum enim Christiani indigentes per nonnullorum 119 Christianorum iniquorum, maxime verò per Judæorum immoderatas usuras (utpote, qui pro singulis florenis mutuo datis solent etiam per singulas hebdomadas unum cruciter crucigerum exigere, sicque lucrum usurarium per anni decursum, duoque menses adæquet sortem, plurimum fuerunt presti: plures successivè celeberrimi Conciatores ex Ordine Fratrum Minorum, ut B. Jacobus de Marchia, Bernardinus de Feltro, alique viri doctri-

doctrinâ & sanctitate celebres, ejusmodi Montes pietatis publicis sui concionibus construi fecerunt: ex quibus Montibus pietatis certa quantitas pecunie, vel frumenti sub sufficiente cautione Pignoris præstiti, indigentibus mutuo imprimis dabatur gratis, eâ tamen lege, ut si mutuum accipientes præfixo tempore debitum non solverent, Pignus ab eis receptum venderetur, & ex pretio Montis pietatis suam sortem, Mutuatarii verò residuum, si quod esset, reciperent, Ministris primitus cuncta gratis ministrantibus.

120 Verùm quia refrigerente charitate successivè deerant, qui gratis, & abque mercede administrarent hujusmodi Montes pietatis, necesse fuit, Ministris seu Administratoribus Montis pietatis congruam pro sustentatione illorum assignare mercedem, quæ cùm de mediis, & substantia ipsorum Montium accipi congruè non poterit, (nam aliqui summa Capitalis brevi defecisset) hinc pro dicta eorum Ministrorum sustentatione, sine ipsius tamen Montis pietatis lucro, suo augmento, moderatum quid & necessarium (puta annuatim, tres, quatuor, aut quinque floreni pro centum) à Mutuatariis exigi, & præfari captum est.

121 Vix autem innotuit, statim aliqui, in specie Cajetanus Comment. de Monte pietatis, cap. 1. Sotus lib. 6. de Justit. q. 1. cap. 6. Scriptis & verbis contradixerunt hujusmodi Montes pietatis tanquam usurarii, eò quòd ultra sortem quidpiam exigetur: unde controversia ista iteratò fuit devoluta ad plures summos Pontifices, per quos tamen omnes, ac tandem in Concilio Lateranensi Sess. 10. per Leonem X. fuerunt solemniter approbati tanquam liciti, & omni specie mali carentes; ut patet ex Bulla ejusdem, cum inter nonnullos &c. & habetur inter Acta dicti Concilii, cujus partem mox referemus. Quare

122 Resp. II. Montes pietatis esse licitos ac pios, non obstant, quòd in debitam Ministrorum sustentationem, atque ad Montis necessariam sustentationem, modicum quid ultra sortem recipiatur & exigatur. Patet hoc ex cit. Concilio Lateranensi, & Bulla Leonis X. inter multiplices, estque undecima inter Constitutiones dicti Pontificis in Tom. 1. Bullarii Cherubini: quæ inter alia §. 4. sic loquitur: Nos sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes pietatis ante dictos per Republicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum sustentationem (ut persertur) pertinentium pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem absque lucro eorumdem Montium recipitur, nec speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, nec ullo pacto improbari, quin imò meritum esse, ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minime usurarium putari &c. Hæc ibi, ubi etiam §. 5. sub pœna Excommunicationis late sententiæ prohibetur, ne quis de cætero contra præmissa prædicet, aut disputet: ibi: Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticas personas, qui contra præfatas Declarationes, & Sanctiones formam de cætero predicare, aut disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, Excommunicationis late sententiæ panam, privilegio quocunque non obstante incurrere volumus.

123 Accedit ratio in præmissis verbis insinuata; quia quamvis in hujusmodi Montibus pietatis aliquid detur ultra sortem, id tamen non exigitur, neque datur tanquam lucrum ex mutuo, seu pro augmento ipsius Montis; sed propter sumptus necessarios ad ipsius Montis sustentationem, ac pro stipendio Ministrorum, qui Montem administrant, & semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora reci-

pienda, custodienda, vel etiam quandoque vendenda, ad conficiendos libros Rationum, cæteraque necessaria præstantia. Nam quia dignus est operarius mercede sua, ut inquit Christus Luc. 10. jure tales à Mutuatariis sustentari merentur, in quorum gratiam laborant, ac interserviunt Monti pietatis.

Quibus non obstantibus utique perfectus adhuc 124 & sanctius, indeque optandum foret, si omnino gratiis à Montibus pietatis indigentibus daretur Mutuum, ita, ut neque pro Administratoribus, vel sustentatione illius aliquid ultra sortem dare deberent: uti facile fieri posset, si in erectione Montis, prout optat etiam Leo X. in citata Bulla §. 4. illis verbis: Multò tamen perfectius, multoque sanctius foret, si omnino Montes gratuitò constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos Censûs assignarent, quibus si non omni, saltem media ex parte hujusmodi Montium Ministrorum solvantur expensæ, ut ad levioeris eris solvendi portionem, medio hoc pauperes gravari contingat, ad quos cum hujusmodi Censûs assignatione pro impensarum sustentatione erigendos Christi fideles majoribus Indulgentiis invitandos decernimus.

Vel si Congregatio pia erigeretur, cujus Membra 125 gratis, & ex charitate Montem administrarent, solo contenti merito, de Indulgentiis inde lucrandis, prout laudabilissimè & sanctissimè fit Frisinge, ubi per Reverendissimum, & Celsissimum S. R. I. Principem & Episcopum modernum erecta, atque ab Innocentio III. confirmata, varique Indulgentiis decorata est Congregatio charitatis erga pauperes, cujus Directores & Ministri cuncta, ac inter alia etiam Montem pietatis eidem incorporatum gratis administrant, ita ut Mutuum à Monte pietatis accipientes, nec pro Montis sustentatione, nec pro Ministris illius aliquid vel minimum dare debeant, ac insuper illud beneficium habeant, quòd sortem, seu summam Capitale mutuo acceptam, non simul & semel solvere teneantur, sed per partes, & successivè solutionem præstare possint; dummodò tempore præfixo tota Summa solvatur. In qua insigni, & laudabilissima charitate ut Deus Frisingenses conservet, & alios ad imitandum efficaciter moveat, optandum & sperandum: in cuiusvis loci Communitate saltem aliquos reperiri sit, qui ex charitate erga Deum & proximum laborem hujusmodi gratis in se suscipere non detrectarent, modo adessent, qui opus hujusmodi sanctissimum inchoarent.

§. VIII.

De Censibus, an sint liciti, vel usurarii?

S U M M A R I U M.

- 126 Censûs quid?
- 127 Censuarus, & Censualista quis dicatur?
- 128 Censûs contractu aliquo permutacionis, donationis, vel & quidem præcipue venditionis constitui potest.
- 129 Censûs variè dividitur: Et quidem alius est reservativus;
- 130 Alius consignativus.
- 131 Consignativus alius est realis, alius personalis.
- 132 Alius mixtus,
- 133 Alius pecuniarius, alius fructuarius,
- 134 Alius certus, alius incertus.
- 135 Alius temporalis, alius perpetuus: & hic alius redimibilis, alius irreducibilis: temporalis alius ad certum tempus, alius vitalitatis.

- 136 Propositus status controversæ.
- 137 Censui realis consignationis Emptione constitutus licitus, & ab utraque immunitas est.
- 138 Probatur ratiōne.
- 139 Censui presertim realis ex parte Venditoris redimibilis omni Jure licitus est.
- 140 Censui verò ex utraque parte redimibilis.
- 141 Sicut & Censui perpetuo irredimibilis, Jure naturali quidem licitus.
- 142 Humano autem tam Civili, quàm Ecclesiastico prohibitus est.
- 143 Consuetudine tamen, uti in Germania, licitus reddi potest.
- 144 Ita tamen, ut pro utroque hoc Censui majus detur pretium.
- 145 Proponuntur, & solvuntur Objectiones contra Censum realem, presertim ex utraque parte redimibilem, & perpetuum: & duobus numeris.
- 146 Censui quomodo differat à mutuo?
- 147 Observatur inæqualitas, & quomodo?
- 148 Ut Censui realis sit licitus, de Jure naturæ requiritur I. Ut super re frugifera constituatur.
- 149 II. Ut justè pretiū ematur, quod in Germania est centum pro quinque annis.
- 150 III. Ut si res Censui subjacta, ex toto, vel ex parte perit, aut infrugifera reddatur, ex toto, vel ex parte pereat quoque Censui.
- 151 IV. Ut res Censui subjacta invito Censualitatis non alienetur in talem, à quo Censui facile haberi nequit.
- 152 Præter has conditiones Jure naturæ requisitas, requiritur insuper aliqua Jure humano: Et quæ?
- 153 Bulla Pii V. certas conditiones ad Censum requirit.
- 154 Quæ Bulla omnes reverè obligat.
- 155 Ubi recepta, & per consuetudinem contrariam abrogata non est.
- 156 In Gallia, Germania, Belgio recepta non est, & propterea ibidem etiam Censui ex utraque parte redimibilis super quacunque re constituitur, & pro centum florenis jus percipiendi annuus emi, consequenter usuræ facillè evitari possunt.
- 157 Etiam Censui personalis de Jure naturæ est licitus.
- 158 Probatur à simili.
- 159 Differentia aliqua inter Censum personalem, & realem.
- 160 De Jure humano Censui personalis non licet ibi, ubi Jus illud receptum est, bene verò alibi.

126 **Q**ueritur I. Quid, & quotuplex sit Censui? Resp. I. Quamvis nomen Censui varie accipiat, ita ut quandoque sumatur pro estimatione bonorum: quandoque pro ipsis bonis seu fortunis, quæ censentur, juxta illud Poëtæ: *Dat Censui honores, Censui amicitias*. Quandoque pro tributo, ut Maith. 22. *Licet censum dare Cesaribus, an non?* tamen ad propositum propriè loquendo, Censui est *ius contractu aliquo constitutum percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius*. Ita Lessius lib. 2. de I. & I. cap. 22. n. 2. Pirhing h. 1. n. 65. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 18. n. 1. Dicitur primò: *Jus percipiendi annuam pensionem* &c. nam quamvis interdum ipsa Pensio vocetur Censui, propriè tamen loquendo Censui non est ipsa Pensio, sed jus eam exigendi. Et hinc si per contractum quis vendat Censum, non vendit pecuniam aut fructus annuos, sed jus quoddam, ratione cujus Emptor Censui potest annua-

tim exigere certam pecuniam, aut fructus ex re alterius. Porro Venditor Censui, id est, ille, qui accepit certam pecuniam quantitatè supponit rem suam Censui, sese obligando ad solvendam annuatim certam pensionem ex ea, dicitur Censualarius. Qui verò pretium dedit, siveque Censum, seu jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius emit, vocatur Censualista. Pirhing loc. cit. & alii. Dicitur 2. *Contractu aliquo constitutum* Per quod differt Censui à pensione illa, quæ quandoque constituitur in Beneficiis Ecclesiasticis autoritate Superiorum, v. g. Parocho seni Parochiam resignanti ad sustentationem vitæ. Dicitur 3. *Super re vel persona alterius*: Tum quia datur etiam Censui personalis, ut infra num. 140 dicitur. Tum quia per hoc differt Censui ab Emphyteusi, siquidem in hac, sicut & in Feudo dominium directum manet penes Dominum, utile verò transit in Emphyteutam vel vasallum: Secus fit in Censui; nam Censualista nullum habet dominium in re Censuali (quæ proinde simpliciter est alterius) sed jus tantaxat percipiendi ex ea quot annis certam pensionem, mediante contracta emptionis, permutationis, vel donationis sibi competens. Resp. II. Censui variè dividitur. Et quidem Primò in reservativum & consignativum, dein in realem & personalem, in perpetuum & temporalem. ut alias faciliores ejus divisiones taceamus. Censui reservativus dicitur, cum quis rem suam pleno jure domini (id est, tam quoad dominium directum, quàm utile) transfert in alium donando, legando, vendendo, aut permutando, reservat sibi annuam pensionem ex re illa præstandà. Et de hoc fit sermo L. ult. C. de Rerum permutat. ibi: *Et lege rebus donatis Candido, ut, à quod placuerat, annuum sibi præstaret*. Quomodo Joseph Ægyptiis dedit terras prædicto Pharaonis, sub annuo Censui Pharaoni præstando. Genes. cap. 47. v. 24. Censui consignativus dicitur, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum ac utile retinet, vel etiam super persona sua alteri jus pensionis annuæ consignat: qui Censui quamvis alteri constitui possit mediante contractu donationis, venditionis, vel permutationis, aut alio consimili modo, tamen in proposito occasione materie usurarum præcipuè agitur de eo, qui emptione constituitur, utpote de quo est prædicta difficultas, an sit usurarius nec ne? dum v. g. centum florenis à te emo jus percipiendi in annos singulos ex agro tuo scapham frumenti, vel è Domo tua quinque florenos: in qua acceptance Censui consignativus est veluti species quædam emptionis ac venditionis, unde & in Jure Canonico in Extravag. Martini V. & Calisti III. quarum quælibet incipit, *Regimini*, de eo agitur sub Titulo, de Emptione, & venditione. Censui consignativus ulterius dividitur in realem & personalem. Realis est, qui fundatur sub certa re una, vel pluribus, ex quibus pensio solvenda fit, v. g. super domo, agro, vineâ &c. & idèd committitur rem, ad quemcunque possessorem perveniat, donec Censui redimatur. Censui personalis est, qui fundatur super certa persona, obligante se ad annuam pensionem ex industria, arte, officio, vel aliunde solvendam sine ordine ad aliam rem, ex qua pensio fit solvenda: quamvis interdum securitatis gratiâ fundus aliquis Hypothecæ supponatur, ut ex eo præstetur pensio, si hæc à persona debitrice nequeat obtineri. Addunt Doctores Censum mixtum, qui videlicet constituitur super re, & super persona immediatè, ita ut etiam si pereat, persona tamen maneat obligata.

obligata. Nam secus fit in Censui merè reali, ibi re ex parte vel in totum percunte, petit simpliciter Censui ex parte vel ex toto, ut amplius infra dicitur. 133 3. Dividitur Censui in fructuarium, & pecuniarium. Fructuarium dicitur, ex quo debentur fructus, ut frumentum, vinum, & hujusmodi. Pecuniarius est, ex quo debetur pecunia, id est certa quantitas ejus. 134 4. Dividitur in certum, & incertum. Censui certus dicitur cum certa pecunia, vel fructuum summa in pensionem constituta est, ut quinque floreni, vel duæ scaphæ frumenti. Censui incertus est, cum indeterminata pars fructuum, v. g. tertia, vel quinta annuatim solvenda constituitur: sicut fecit Joseph in Ægypto. 135 Insuper ratione temporis futuri, dividitur Censui in perpetuum, & temporalem. Perpetuus est, qui nullum determinatum tempus habet, sed vi conventionis perpetuò durat. Et hic ulterius dividitur in redimibilem, & quidem vel ex parte solius venditoris, ita ut ei liceat restituere pretio ac obligatione solvendi Censum se liberare; vel ex parte solius Emptoris, ita, ut hic resignato Censui possit pretium suum repetere: vel ex parte utriusque, ita ut tam Venditor restituto pretio à Censui se liberare, quàm Emptor resignato Censui pretium pro eo prius expensum iterum repetere pro libitu valeat. Et in irredimibilem, qui amplius redimi nequit. Temporalis etiam subdividitur in eum, qui extenditur ad certum tempus, v. g. ad 30. vel 50. annos: & in eum, qui extenditur ad tempus incertum, puta, ad vitam unius hominis, vel duorum, & hic Censui proprio nomine dicitur Vitalicius. 136 Explicatè itaque naturâ & varietate Censui, summe præctica & magni momenti examinanda venit controversia, an, & qui Censui sint liciti, vel usurarii ubi tamen præmittendum, non esse hic controversiam & questionem de Censui reservativo, hanc enim licitam esse, probat exemplum Josephi Proregis Ægypti, & communiter affirmant Doctores. Sed de Censui consignativo, & quidem constituto per venditionem & emptionem: nam si is constituitur per legatum, aut per donationem, minor est difficultas, & nullum periculum usuræ. Emptiones verò Censuum seu Censualium reddituum omnino tempore nonnulli vitas esse suspectas, & ad instar clypei pro subterfugiendis usuris adinventas, rectè cum aliis notat Fagnanus c. in civitate. Tir. de usuris. n. 10. Hinc 137 Queritur II. An Censui consignativus realis, per emptionem & venditionem constitutus sit licitus vel potius usurarius? Resp. I. Censui hic realis tam pecuniarius, quàm fructuarium redimibilis ex parte venditoris est licitus, si eo pretio fuerit emptus, quod vel lex taxavit, vel loci consuetudo approbavit. Ita communissima, & hodie certa Doctorum sententia, utpote clarè decisa in Extravaganibus Martini V. & Calisti III. quæ habentur in Jure Canonico inter Extravag. communes Tit. de Emptione & venditione: ubi ex professo definitur, ejusmodi contractus Censualis, seu Censui emptus, in quorum redditibus ac fructibus pleræque Monasteriorum, Hospitalium, Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum fundationes atque preventos consistere dignoscantur, esse licitos, Jurisque conformes, & vendentes eosdem ad ipsorum solutionem Censuum & reddituum, juxta dictorum contractuum tenores officiatè teneri &c. Eandem Censum approbat etiam Pius V. in Constitutione cum onus Apostolica, infra allegandâ. 138 Ratio est: Tum quia usura non committitur, Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

præterquam in Mutuo, arg. c. Si susaveris. & seq. 14. quæst. 3. & patet ex ipsa definitione usuræ allatâ n. 3. Atqui in Censui non intervenit mutuum, sed verus contractus venditionis vel emptionis; nam Censualarius vendit sub certa pecunia ipsi Censualistæ jus percipiendi fructus aliquos ex suo agro, prædicto &c. ergo. Tum quia Censui realis est veluti pars quedam usufructus: nam continet jus percipiendi partem fructuum, sive annuorum reddituum: usufructus autem, sive jus percipiendi fructus prædicti alieni licitè emi potest, arg. l. Necessarie 8. §. fin. ff. de Periculo rei venditi. Accedit, quòd Censui realis titulo donationis & legati indubitatè constitui possit, ergo etiam titulo emptionis. Et hæc rationes militant non tantum de Censui antiquis, sed etiam de novis, seu de novo sub certa numeratione pecuniæ constitutendis; sicut nec Extravagantes n. præced. citatæ distinguunt inter Censui antiquos & novos: unde & hos esse licitos passim fatentur Doctores, dummodò observentur certæ conditiones infra ponendæ. Dicitur autem notanter in Conclusionè n. 137. po. sitâ: *Censui realis redimibilis ex parte venditoris*; quia de hoc expressè loquitur, eumque ut licitum approbant prælatæ Constitutiones Pontificiæ supra allegatæ. Num autem, & quo Jure licitus sit Censui ex utraque parte redimibilis, & irredimibilis? dabunt Conclusiones sequentes. Resp. II. Loquendo de Jure naturali etiam ex parte Emptoris seu Censualistæ redimibilis Censui realis consignativus licitus, & ab usura immunis est, Lessius lib. 2. de I. & I. cap. 22. n. 56. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 18. n. 5. Pirhing h. 1. n. 71. Engel h. 1. §. Verum quidem n. 22. Gabriel in 4. dist. 15. q. 12. art. 2. Concl. 4. Medina q. 15. De rebus per usuram acquisitis. §. Quæ de Pacto. Conclusio præter rationes supra n. 137. allegatas inde probatur: Tum quia pactum redimendi ex parte utriusque etiam aliis emptionibus apponi potest, prout cum aliis bene docent Covarruvias lib. Variar. Resolus. cap. 2. n. 2. Lessius lib. 2. cap. 21. n. 120. Tum quia univèrsaliter tractatus ex conventionem legem accipiunt, c. Contractus. 85. de Reg. Jur. in 6. & l. Contractus. 23. ff. cod. Tum quia onus Censualario impositum, quod pretium pro libitu Censualistæ reddere debeat, si hic Censum remittat, ad æqualitatem compensari potest, solvendo majus pretium pro Censui. Resp. III. Etiam Censui realis perpetuus, & ex utraque irredimibilis licitus, atque ab omni usura immunis est, loquendo de Jure naturali. Lessius loc. cit. cap. 12. n. 34. Layman loc. cit. n. 3. & 7. Pirhing h. 1. n. 64. Haunoldus tract. 10. n. 338. Conclusio probatur iisdem rationibus, quibus præcedens. Et confirmatur à paritate cum licita emptione perpetuâ, & irredimibili usufructus; quod enim Juri est de toto quoad totum est etiam de parte quoad partem, l. quæ toto. ff. de R. J. Accedit, onus Venditori incumbens, quòd Censum redimere nequeat, posse aucto pretio compensari. Dicitur autem notanter in utraque Conclusionè, loquendo de Jure naturali; quia loquendo de Jure humano Civili, & Ecclesiastico uterque, scilicet tam Censui ex utraque parte redimibilis quàm perpetuus, & ex utraque parte irredimibilis expressè prohibitus est. Prior quidem à Pio V. in sua Constitutione cum onus. §. 12. ubi penitus prohibetur, quòd Emptor pro libitu repetere possit pretium: & à Carolo V. in Comitibus Augustanis Anno 1548. & 50. celebratis sub Titulo de usuriis contractibus, quibuscum concordare videntur Extravagantes num. 137. citatæ, hoc ipso, quòd redemptionem Censui soli venditori permittant; idque propter periculum usurariæ intentionis, quæ in

hujusmodi Censu facile presumitur in Foro exte- no, ut bene advertit Laym. cit. cap. 18. n. 6. Engel h. t. §. 2. n. 22. & alii. Alter vero seu Censu ex parte utraque irredimibilis per ambas Extravagantes n. 137. citatas, item per infra n. 153. adducendam Con- sultationem expressè velint, ut semper in potestate & libertate Venditoris maneat, censum venditum pro libitu redimere, restituendo iterum pretium Emptori.

143 Quoniam verò ambo hi Censu Juri naturali, vel Divino non adferantur per d. cta num. 140. & seq. sed soli humano num. preced. allegato; contra jus humanum autem valida & licita sit consuetudo c. fin. de Consuetud. etiam licite & valide praticari poterit, utque tam irredimibilis videlicet ex omni parte, seu perpetuus, quà redimibilis ex utraque parte, in locis, ubi præfata Constitutiones hu- manæ Civiles, & Ecclesiasticæ vel non sunt usu receptæ, vel per consuetudinem contrariam legiti- me præscriptam quoad hoc abrogatæ, prout vi- detur, rem se habere in Germania, utpote in qua teste Laymano lib. 3. tr. 4. cap. 18. n. 6. Pirhing. h. t. n. 72. Engel eod. loc. cit. consuetudine intro- ductum habetur, quòd etiam Censu ex utraque parte redimibilis emanat, dando pretium centum florenorum pro jure percipiendi singulis annis quin- que.

144 Notat tamen Layman loc. cit. Pirhing loc. cit. Lessius, Gabriel, Medina, citati nu. 149. æquum videri, ut pro Censu ex utraque parte redimibili ma- jus pretium detur, quàm ex parte solius Venditoris redimibili; cum enim Venditori magis favorabile, & eontrà Emptori magis onerosum, consequenter pretio æstimabile sit, quòd ille restituendo pretium pro libitu redimere possit Censum, hic verò pretium pro Censu expensum amplius repetere non possit, sed nolens volens pro libitu venditoris relinquere de- beat, utique minori pretio talis Censu emi potest, quàm si ex utraque parte redimi valeat, adeò ut si vi consuetudinis pro Censu ex utraque parte redimi- bili annuorum 5. florenorum dantur centum; pro Censu ex parte solius venditoris redimibili, seu pro jure percipiendi annuatim 5. florenos, sufficiens pre- tium videantur 80. floreni.

145 Objicies contra utramque conclusionem n. 140. & 141. positam, & doctrinam inde à n. 142. dedu- ctam: Censu ex utraque parte redimibilis non vide- tur differre à mutuo; utpote in quo, sicut in illo Debitor sortem acceptam pro libitu restituere, & Creditor illud repetere potest, ergo sicut in mutuo, ita in isto usurarium erit aliquid ultra sortem, vel pretium datum exigere. Resp. Negando Ant. & paritatem: Disparitas est: Tum quòd, uti Docto- res communiter bene colligunt, ex allegatis n. 137. Extravagantibus, etsi in mutuo bona & facultates Hypotheca pereant, tamen Debitor nihilo minus ad restitutionem mutui, & usurarium obligetur; eon- trà verò in Censu reali, si res, ex qua Censu, seu jus annuatim ex ea percipiendi fructum, calu perit, pereat quoque Censu, & facultas repetendi pre- tium pro ea expensum per dicenda infra n. 150. Tum quia in contractu Censuali vera intervenit emptio & venditio, ergo differt à mutuo, & consequenter usu- rarium non involvit, utpote, quæ in solo mutuo da- tur, per dicta supra n. 138.

146 Dices, est contra naturam pecuniæ, & emptio- nis, quòd unà pecuniâ præfenti, ematur pecunia futura annuatim percipienda; cum pecunia ex sua natura sit instituta, ut per eam emanent aliæ res pre- tio æstimabiles, & quidem præfentes, non futuri; ergo. Resp. Vi contractus Censuali non emi ipsam pecuniam, sive præfentem, sive futuram tanquam ætercem, sed jus præfens percipiendi suo tempo-

re pecuniam; quòd jus non minus ac alia Jura in- corporalia vendi potest. Nec contra naturam emptio- nis est, quòd jus hujusmodi non statim, sed in futurum primitum currat; cum etiam jus percipiendi futuros fructus agri, vineæ, etiam valeant. l. Nec emptio §. ff. de Contract. emptio.

Urgebis: In contractu emptiois debet esse æqua- litas inter mercem & pretium, per vulgaria; atqui hæc non datur in Censu præfentim redimibili ex utra- que parte vel perpetuo; cum enim venditor Censum præter totum pretium centum v. g. florenorum ac- ceptum debeat Emptori restituere singulis annis quinque, idque in Censu perpetuo ita continuare, ut successu temporis in duplo, triplo, vel ultra resti- tuti debeat pretium solum, planè adesse non vide- tur æqualitas ad emptioem requisita. Resp. Inæ- qualitatem hanc evitari, vel potius variè compensa- ri aliunde; & quidem partim ob periculum amit- tendi & pretium, & Censum, casu, quo res Censu supposita perit: partim propter advenientem aliam impossibilitatem denud recuperandi, quo forsitan em- ptor indigeret ad faciendam lucra, vel vitanda dama- partim quia ob molestias & expensas, qua Censua- lista sæpe pati debet pro perceptione Censu: partim etiam, quòd pretium pro Censu perpetuo, vel etiam ex utraque parte redimibili possit augeri. Cæ- terum fateor, nec Censum ex utraque parte redimi- bilem, nec perpetuum praticari posse in locis, ubi consuetudo non est; quia hæc alicubi non extante intrant, & obligant Constitutiones tum Civiles, tum Ecclesiasticæ n. 141. allegatæ, præfatos Censu expressè prohibentes.

Queritur III. Quæ condiciones requirantur ad hoc, ut validus ac licitus sit Contractus Censualis? Resp. Ut contractus Censualis sit licitus ac iustus, Jure naturæ requiruntur sequentes condiciones. Prima est, ut Censu constitutur in re frugifera, quæ afferat utilitatem & fructum, ut est ager, do- mus, & hujusmodi: nam vi Censu venditur jus per- cipiendi fructus alicujus rei, consequenter hæc de- bet esse frugifera. Unde si res fructum, vel redditus annuos non fert, & ferre non potest, super ea cen- sus constitui non valet; imò si quidem fructus, sed pauciores singulis annis afferat, quam Censu exigat, eatenus, quatenus minus fert, super re frugifera impositus censetur. Molina de Justit. & Jur. Disp. 389. n. 12. Pich. h. t. n. 73. Medina de Usuris. q. 12. cum communi aliorum.

Secunda conditio Jure naturæ requisita ad con- tractum Censualtem est, ut iusto pretio Censu ven- datur & ematur: hæc enim conditio ex natura rei requiritur ad quamcumque venditionem & emptio- nem. Censetur autem iustum pretium, quod vel lege, vel consuetudine, aut saltem is deficientibus arbitrio proborum & prudentium virorum taxatum est: quale in Imperio Romano censetur esse centum pro quinque annuatim præstantis, per Constitutio- nem Caroli V. editam in Comitibus Augustanis Anno 1548.

Tertia conditio est: quòd si res Censu subjecta, pro parte aut ex toto pereat, vel in perpetuum (secus si ad modicum tempus cum reversione fru- ctuum alio tempore percipiendorum) infrugifera reddatur, pro rata seu juxta compensationem etiam ex parte, aut ex toto Censu pereat. Si- quidem Censualista habet jus ad fructus rei, seu est dominus hujus juris, qualibet autem res do- mino suo fructificat aut perit. Hinc si casu for- tuito domus Censu subjecta pereat absque culpa Censuarii, perit Censu: secus, si pereat, v. g. in- cendio ex culpa Censuarii, nam tunc is vel debet re- fundere pretium Censu, vel tunc super aliæ immo- bili constituitur, ut post Lessium lib. 2. cap. 22. n. 88. Molin-

Molinan disp. 391. n. 3. Tanerum, ac communem aliorum notat Pirhing h. t. n. 80. pluribus hanc con- ditionem explicans.

151 Quarta conditio est: ne res Censu subjecta, sine consensu Censualista alienetur in talem, à quo Cen- sus vel simpliciter, vel sine difficultate haberi non possit. Pirh. loc. cit. num. 81. Sotus lib. 6. q. 5. a. 3. Ratio patet; quia alias jus Censualista redderetur deterius.

152 Resp. II. Præter hæc Jure naturæ ad Censum re- quisitas condiciones sunt nonnullæ aliæ, quæ vel in duabus Extravagantibus Martini V. & Callisti III. indicantur, vel in Bulla B. Pii V. quæ incipit, cum onus Apostolicæ, Anno 1569. super Censibus edita de novo requiruntur: ut quòd Censu non nisi super re frugifera de sui natura, & immobili, vel quæ pro immobili habetur, constituitur; ut Censu impos- itum non nisi redimibilis constitui possint, con- sequenter perpetui non valeant; ut pretium Censu ab invito repeti non possit, præterquam si Censua- rius denunciaverit, se traditione pretii velle cen- sum extinguere; consequenter non procedant cen- sus ex utraque parte redimibiles; ut Censu augeri super eadem re constitui non possit, & hujus- modi, prout videre est in citatis Extravaganti- bus Martini V. & Callisti III. Regimini. de Emptio- & Venditio, & præfentim Bulla Pii V. hic annexa.

Pius V. Episcopus, Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

153 Cum onus Apostolicæ servitutis obvenies cognoverim- us innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari Censuum contractus, qui nolum non continentur intra limites à nostris Antecessoribus eisdem contractibus statutos, verum etiam quòd deterius est, contrariis omnino pactitionibus, propterea ardentem aversione stimulum, Itaque etiam divinarum manifestum contem- ptum præferimus, non potuimus animarum, prout te- nemur salutem consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, latifera- que veneno salutari antidoto non mederi.

1. Idcirco igitur nostrâ Constitutione statuimus, Censum seu annuum redditum creati, constitutive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immo- bili habeatur, de sui natura frugifera, & quæ nomi- natim certis finibus designata sit.

2. Rursum nisi vere in pecunia numerata, præsen- tibus, & Notario, & in actu celebrato in instru- menti, non autem prius recepto integro justo pretio.

3. Solutionem, quas vulgò anticipatus appellant, fieri, aut in pactum deducti prohibemus.

4. Conventiones directæ vel indirectæ obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliis ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

5. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem Censu suppositam, quibus videnda sit, & per mensuram expectari, ac sine solutione Laudemii seu quinquagesime, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate alienari.

6. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum cen- sus aliis omnibus præferri, eique denuntiare conditio- nes, quibus videnda sit, & per mensuram expectari.

7. Pacta continentia morosum Censu debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu certas expensas aut certa salaria, aut ad salaria seu expensas medio jramento Creditoris liquidandas, aut rem Censu subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliun- Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

de acquirunt perdere, aut in aliquam panam cadere, ex voto irrita sint, & nulla.

8. Imò & Censum augeri, & novum creati super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ pro Censibus temporis vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus.

9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solu- tiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de jure, & ex natura contractus non spectant.

10. Postremò Censu omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte percepta, aut in- fructuosus in totum vel pro parte effectus, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extin- gui: Num obstant longissimi etiam temporis, ac immo- morabili, imò centum & plurium annorum præscrip- tione, non obstantibus aliquibus pactis directè aut in- directè talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis, aut clausulis concepta sint.

11. Cum verò traditione pretii redditus extin- guendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciam, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium nec volens intra bimestre solvatur, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilo minus quandocumque redditum extingui posse, prævid- tamem semper denunciâ de quâ supra & non obstantibus his, de quibus supra, idque observari mandamus etiam quoad plures ac plures denuntiatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.

12. Pacta etiam continentia pretium Censu extra casum prædictum, ab invito, aut ob panam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus.

13. Contractusque sub alia forma post hæc celeb- randos seneratitios judicamus. Et ita illis prolecedi non obstantibus, quidquid vel expressè vel tacitè con- tra hæc nostra mandata datus, remitti, aut dimitti con- tingat, à Fisco volumus posse vindicari.

14. Hunc autem salutaris sanctionem nedum in Censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modò post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuò, & in omnibus servari volumus.

15. Declarantes pretium semel Censu constitu- tum, nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accideris, nec quoad ultimò con- trahentes minus vel augeri.

16. Et licet legem ipsam ad contractus jam cele- bratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt Censu, hortamur in Do- mino, ut singulos contractus Censura bonorum Reli- giosorum subiciant, & animarum saluti consulant.

17. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetu- dinibus, nec non privilegiis & litteris, etiam per quos- cumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum déro- gatoris, nec non irritantibus Decretis, ex quarvis cau- sa etiam per modum legis universalis, aut aliàs quo- modolibet editis, sive in favorem Universitatum, Com- munitatum, Collegiorum, Congregationum, Civita- tum, & locorum concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus & singulis illorum tenores præfentibus pro expressis habentes, quatenus directè vel indirectè præfenti nostrâ Constitutioni in toto vel in parte contra- rientur, specialiter & expressè derogamus, ceteris- que contrariis quibuscumque.

18. Volumus autem, quâ præfentes in Cancel- laria & acie Campi Floræ publicentur, & inter Con- sultationes extravagantes perpetuò vallituras conscri- bantur.

19. Et quia difficile foret præfentes ad singula quoque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quòd

quod earum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii subscriptis ac sigillo alicujus Prælati munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhibetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, hortationis, derogationis, declarationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI, ac BE. PETRI & PAULI APOSTOLORUM EJUS SE NOVERIT INCURSURUM.

Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto decimo Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno quarto.

Sequuntur declarationes dubitationum desuper exortarum.

Pius Papa Quintus.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi Apostolica Sedes magnâ adhibita industria operam dât, omnia perspicue promulgare, vix tamen est ut unquam satis queat usque covere, quin scrupulose quorundam mentes, novis illi sensus inducant, quorum perplexitate, multi in dubium evocantur.

§ 1. Eridem enim per Constitutionem nostram de censuum creatione, inter alia volumus. Censuum omnes in futurum creandos, non solum re, in totum vel pro parte preempta, aut infructuosa in totum effecta, ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio extingui posse. Ac pacta continentia morosum censuum debitorem, ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu salaria, & expensas medio Creditoris juramento liquidandas teneri, aut rem censui subjicere, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus, sive ex eodem contractu, sive aliunde acquisitionem perdere, aut in aliquam penam cadere, ex toto nulla atque irrita esse. Censuum autem seu annuum reddituum, non nisi in re immobili, aut que pro immobili habeatur, ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit, sed nec censuum ipsorum, nisi verè in pecunia numerata, presentibus Notario & testibus in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro, justoque pretio creati, constitutive nullo modo posse.

§ 2. Deinde per dilectum filium Oclivium Spinolum Regni Siciliae Magistrum Portulanum hac de causa ad nos destinatum, accepimus in dicto Regno Siciliae serupulum exoriri, an rerum prædictarum infructuositas etiam annalis, aut aliis temporalis intelligatur.

§ 3. Et ut per nullatenus pactorum, & aliorum prædictorum etiam jus recuperandi, sive repetendi impensas quas litigando contra morosos prædictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut aliis ex Judicium mandato subire oportet, auferatur.

§ 4. Præterea, an tam pro ipsi expensis quam etiam pro Censui recuperando contra tertium possessorem procedi? Et etiam Fidejussores dari, aliave bona pro prædicto Censui gravati evictione, & ipsius Censui solutione hypothecari? Denique an Censuum hujusmodi super pluribus rebus inter se divisim constitui?

§ 5. Postremò an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat, quominus in dotium assignatione Censuum creati possint?

§ 6. Nos hæc discrimina quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore præsentium declaramus, rem infructuosam, que tota vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus, pluribusque annis, sive tempestate, sive alio casu non proveniunt, salva aliis Juris communis dispositione intelligi debere.

§ 7. Præterea executionem illarum expensarum pro-

hiberi, que ex pacto vel conventionem tantum inter contrahentes inita, & instrumentum Censuum specialiter appositæ rescipi permittuntur, non autem ea, que ex dicti Juris dispositione repetenda veniunt, & mandato Judicis adjudicantur.

§ 8. Ceterum Fidejussores dati, aliave bona hypothecari pro prædicto Censui gravati evictione, aut si prædium in alium devenerit, aut si aliquis tertius Fidejussor intercesserit, tertium possessorem, vel ejus bona obligari minime prohibemur. Hæc autem omnia pro evictione dumtaxat, non autem solutione penæ adjudicari posse intelligimus.

§ 9. Postremò in Dotium assignandarum casu Censuum erectionem, & constitutionem prædictam respectu actualis numerationis oram Notario & testibus faciendæ locum non habere. Sed in hoc casu Censuum ipsos etiam pecuniâ ad manum non habitâ creati posse declaramus.

§ 10. Denique, ut periculis, que ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniant occurratur, permittimus, ut si in creatione Censuum pecuniam ad manum commodè haberi nequiverit, illius loco Empior apocham, sive scheinam bancariam idoneam integri pretii in ipso emptionis actu debeat exhibere.

§ 11. Constitutione nostrâ prædictâ, tam in casu Dotium quam cæteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

§ 12. Volumus autem ut presentium exempla etiam impressa, Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici, ejusve curiæ sigillo insignita, eandem illam prorsus, tam in judicio, quam extra illud, fidem faciant, quam ipsamet presentia facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 10. Junii 1570. Pontificatus nostri anno 5.

Resp. III. Quanvis nonnulli ut Navarrus de Usuris. n. 69. & 70. Sa v. Censuum. Velint hanc Constitutionem Pii V. ob solam præsumptionem usuræ esse latam, consequenter in conscientia non urgeret, ubi contractus censuarius ab usura aliâ immunitatis est, tamen omnino dicendum videtur, dictam Bullam, ubi ultra recepta, & per consuetudinem contrariam abrogata non est, absolutè obligare, Castro Palao pari. 7. Tract. 22. Disp. 6. pun. 15. num. 4. eoque teste cæteri Doctores omnes. Ratio est, quia reverâ ibidem prescriptam formam contractui, ne pretextu Censuum exerceantur usuræ, ergo.

Dicitur autem notanter, ubi Bulla recepta, & per consuetudinem contrariam abrogata non est; quia ubi vel non recepta, vel primitus recepta, postea per consuetudinem contrariam iterum abrogata est, utique in nullo Foro obligat, cum lex humana usum non recepta, vel per consuetudinem contrariam abrogata vim obligandi non habeat, per ea que copiosè circa hoc dicta sunt Lib. I. Tit. II. de constitut. §. VI. & c. fin. de Consuetud.

Hinc, quia teste Lessio lib. 2. cap. 23. dub. 13. 156 & experientia, dicta Bulla Pii V. in Gallia, Belgio, Germaniâ &c. usu recepta non est, ibi non obligat, consequenter validè ac licitè ibidem fiunt contractus censuales, & emuntur censuum etiam ex utraque parte redimibiles, & perpetui quoque super bonis in genere, indeque usuræ, que in mutuo timentur, facile evitari possunt, si videlicet loco mutui ematur census, sive ex utraque parte redimibiles.

Queritur IV. Nam etiam census personalis sit licitus? Resp. Etsi non pauci Doctores negativè teneant: nihilo minus loquendo de Jure naturali licit-

licitam esse emptionem censuum personalis; dummodo persona, in qua census constituitur, sit frugifera, id est, talis, quæ sua arte, opera, vel industria fructum aliquem pariat, unde censuum solvere possit. Ita citatus Lessius num. 18. & seqq. Abbas in c. civitate. h. t. n. 7. Gailus lib. 7. Observat. 7. n. 13. Layman nu. 7. & alii. Ratio est; quia etiam hic solummodo venditur jus, annuatim percipiendi aliquid ex lucris, quæ censuarium suâ industria annuatim acquirit; ergo videtur eadem ratio, quantum est ex natura rei, & seclusâ omni prohibitione humana, quæ urget de censu in agris, aut aliis rebus immobilebus constituto.

158 Confirmatur. Potest super industria hominis constitui obligatio solvendi annuatim aliquid ex suis lucris per modum decimarum, vel tributorum; quæ dicuntur personales, arg. c. Ad Apostolicam, & c. Pastoralis. de Decimis, & in Tributis, de quibus fit mentio. 2. Esdræ cap. 10. Nihil autem obstat, si mille obligationem vendi posse, ergo.

159 Verum quidem est, esse notabilem differentiam inter censum personalem, & realem; Nam si Debitor non sit solvendo, potest prædium censui reali subiectum vendi, aut in dominium vindicari: fecus fit in censu personali; quia persona libera non potest in servitutum rapi propter debita. Omitto alias differentias.

160 Dicitur autem notanter de Jure naturali; quia quævis utraque parte redimibilis, & perpetuo irreducibilis, ita etiam personalis census per Constitutiones Pontificias supra citatas prohibitus est; consequenter, non nisi in locis, ubi illæ vel non receptæ, vel abrogatæ sunt, valet.

§. IX.

De Obligatione solvendi Usuras, & de dominio solutarum, nec non de Restitutione earundem.

S U M M A R I U M.

161 Debitor ex mutuo non tenetur solvere promissas, vel pactas usuras.

162 Nisi juramento ad eas solvendas se obstrinxerit, Quod tamen juramentum remittere debet Creditor.

163 Qui usuras etiam ex juramento debitas solvit, potest eas coram Judice iterum repetere.

164 Quid, si juravit, se non repetiturum illas?

165 Usuras compensatorias, aut moratorias, aut alio titulo receptas nemo obligatus est solvere.

166 Usurarius acquirit dominium rerum per usuram receptarum, si aliis ipsis bonis propriis permixti, aut confusi sunt, ut discerni nequeant.

167 Minime verò illarum rerum, que ita permixte non sunt.

168 Usurarius præter rem usurâ acceptam tenetur etiam restituere fructus illius, si est frugifera.

169 Non verò fructus, seu lucrum mediante pecuniâ usurariâ per industriam acquisitos.

170 Solvitur objectio.

171 Usurarius tenetur usuras acceptas restituere, & cui?

172 Etiam Judæi tenentur ad restitutionem usurarum.

173 Sicut & heredes usurariorum.

174 Non quidem ultra vires hereditatis.

175 Bene verò quædam aliquid de hereditate jurasset, etsi res usuraria non amplius adsit. Heredes tenentur ad resarcienda damna defuncti illata, etsi inde nullum commodum exortum sit damnificanti. Ibid.

176 Paupertas usurarium, & heredes illius excusat à restitutione, donec ad pinguiorem fortunam veniant.

177 Mentalis usurarius nil restituere tenetur, si nil recipit.

178 Vel si ex mera liberalitate creditoris & non vi mutui quid accipit.

179 Usurarius mentalis tenetur ad restitutionem usurarum vi mutui receptorum.

180 Solvitur Objectio à pari de Simonia mentali.

181 Datur dispensatio: Et n. seq.

Queritur I. An Debitor promissas aut pactas ob mutuum tenetur solvere usuras lucratorias? Resp. I. Debitor ex mutuo non tenetur solvere veras usuras lucratorias, etiam si eas solvere promiserit, nisi sub juramento ad eas solvendas se obligaverit. Communis & certa, ob claram dispositionem Juris c. Debitores. 9. de Jurjur. cujus textum lege n. 163.

Resp. II. Qui non simplici promissione, pacto, vel contractu, sed etiam sub juramento se obligavit ad solvendas veras usuras ex mutuo, tenetur quidem illas solvere, nisi Creditor hujusmodi juramentum remittat; nihilo minus potest Creditor adigi, ut juramentum, & per consequens etiam usurarum solutionem remittat: casu autem, quo vi juramenti eas jam solvit Debitor, potest illas in judicio repetere, debetque Creditor ad eas debitori denuo restituendas compelli. Rursus Communis & certa expressè sic disponente Jure. Et quidem prima pars de remissione juramenti, c. 1. de Jurjur. ibi: Mandamus, quatenus Creditores ad juramenta super usuris sibi præstita; relaxanda, Ecclesiasticâ distributione cogantur.

Altera verò pars, quod vi juramenti jam solutæ usuræ iterum repeti & restitui debeant, arg. cit. c. Debitores. 6. de Jurjur. ibi: Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt, Domino reddere juramentum. Et cum usuræ solutæ fuerint, Creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiasticâ severitate (si necesse fuerit) compellendi.

Quod si Debitor etiam jurasset, se non repetiturum usuras solutas, nihilo minus Creditor compelli potest, ut vel juramentum remittat, vel ab usurarium exactione desistat; vel poterit non obstante hujusmodi juramento per Judicem ex Officio compelli ad restituendas usuras jam solutas, ita clarè statutum habetur c. Tuas dudum. 13. h. t. ubi etiam ratio redditur illis verbis: Ne dolo & fraude contingat eos, (Creditores scilicet) commodum reportare.

Dicitur autem notanter in utraque Conclusione 165 num. 161. & 162. posita, veras usuras lucratorias, sive ad usuras compensatorias, & moratorias, seu punitorias (de quibus §. 4. & 5.) solvendis in utroque Foro tenetur, sicut etiam ad illas, quæ aliquo justo titulo veræ, & propriè tales usuræ non sunt.

Queritur II. An usurarius acquirat dominium earum rerum, quas per veram usuram accepit? Resp. I. Si per usuram acceptum consistit in pecunia, frumento, vino, vel alia re fungibilis, idque jam aliis propriis rebus Creditoris commixtum aut confusum habetur, dominium illius omnino habet Dominus (manente tamen obligatione restituendi idem in æquivalenti per dicenda infra num. 171.) Communis & certa. Ratio est; quia etiam rerum alienarum &

narum, quin & furtivarum, vel aliis injuste acquiruntur, per admixtionem cum propriis acquirunt dominium, §. Si duorum. §. Quod si Infit. de rerum divis. l. Si alicui. 78. ff. de Solution.

167 Resp. Si res quæcunque etiam fungibiles cum aliis propriis usurarii rebus permixtæ, aut confusæ non sunt, dominium earum nullatenus acquirunt usurarius. D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 3. ad 3. Covarruvias lib. 3. Variar. resol. cap. 6. n. 3. Sylvest. v. Usura. 6. q. 1. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 16. n. 7. cum Comuni aliorum contra Glossam in can. si quis usuram. cau. 14. q. 4. & quosdam alios. Ratio Conclusionis est; quia ad acquirendam rerum dominium non sufficit sola traditio, sed requiritur præcedens venditio, vel alia iusta causa, l. Nunquam. 31. ff. De acquirend. rerum dominio; quæ iusta causa in usura non adest, cum usuras tradentis voluntas, quam pro sufficienti causa allegat Adversarii, non sit transferre dominium usure in usurarium, hoc ipso, quod non censeatur rem usurariam Creditori donare, nec per traditionem plus juris in Creditorem transferre, quam quod debet; nil autem ei debet, per dicta n. 161.

168 Confirmatur: Usurarius tenetur ad restitutionem rei ut Raptor, can. Si quis usuram. cau. 14. q. 4. Raptor vero, aut Fur dominium rei furtivæ non acquirit, l. in re. 8. & l. Sive manifestus. 10. ff. de Condit. furt. Imò, si res frugifera est, tenetur una cum illa etiam fructus inde perceptos restituere; ergo dominium illius non acquirit, cum aliis fructus faceret suos, utpote qui ad rei Dominum pertinent, §. Si quis à non Domino. 35. Insti. De rerum divis.

169 Illud tamen notandum, quod si usurarius pecuniâ per usuram acceptâ quid emat, aut negotietur, inde comparatæ rei verum acquirat dominium, textu claro l. Si aliena. 8. C. Si quis alteri, vel sibi. Ratio est; quia res per pecuniam usurariam comparatæ non sunt fructus pecunie, utpote ex se fructus, sed fructus industriae: Quare etiam Depositaris, Fur, & Uxor id, quod ex re deposita, furtivâ, vel mariti defuncti ad filium pertinente acquirunt, sibi, non aliis acquirunt, l. Si ex ea. 6. C. de R. V. l. Qui vas. 48. §. 7. ff. de Furtis. l. 1. C. Si quis alteri, non sibi.

170 Nec dicas contra præced. doctrinam. Nil illis debet ex iniquitate sua referre commodum; ergo nec usurarius ex pecunia per iniquitatem usurariam accepta. Resp. usurarium non referre lucrum ex ipsa usura, sed ex propria industria usurariam pecuniam applicante; nec enim iniquum est, ex actu aliâ malo reportare commodum temporale, prout patet in actu Meretricio.

171 Queritur III. An usurarii, eorumque hæredes teneantur ad restitutionem? Resp. I. Certum est, quod, qui usuras recipit, in utroque Foro teneatur ad restitutionem earum, sive Clericus ille sit, sive Laicus. Patet id ex cap. 1. & 2. h. t. Neque enim in uno minor est ratio quam in alio, cum uterque furi ac raptori comparetur, can. Si quis usuram, cau. 14. q. 4. & rem non suam detineat, quo proinde est obnoxia restitutioni: siquidem peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum, ut habetur Regula 4. Juris in 6. & c. Cum tu. h. t. Et quidem hæc restitutio usurarii inprimis debet fieri his, à quibus extortæ fuerunt, vel eorum hæredibus, vel, si hi non extent, aut non sint superstitibus, pauperibus, prout cit. c. Cum tu. 5. h. t.

172 Resp. II. Etiam Judæi compellendi sunt ad restituendas usuras extortas à Christianis, per subtraditionem communionis Christianorum, vel aliâ per Principes & Potestates sæculares. Ita habetur decretum c. Reus miserabilem. & c. Quanto am-

plius h. t. Nam generaliter dicitur c. Si quis usuram. 14. q. 4. ibi: Si quis usuram acceperit, rapinam facit. Et constat, Judæos Jure naturali & Divino obligari, quo utroque usura sunt damnatæ: neque eos excusat illud Deut. 23. de quo diximus supra, cum id Christus revocaverit Luc. 6. dicens: Mutuum date, nihil inde sperantes: simulque nunc cessaverit ratio dicte concessionis ibidem assignata.

173 Resp. III. Hæc obligatio restituendi usuras tranfit ad hæredes usurariorum, non tantum suos, sed etiam extraneos. Ita habetur c. Tua nos. h. t. ibi: Respondemus, quod Filii ad restituendas usuras eâ sint districtione cogendi, quâ parentes sui, si viverent, cogerentur, id ipsum quoque ad hæredes extraneos credimus extendendum. Et ratio est; quia hæres non fuerunt defuncti, ac proinde nec hæredis esse possunt, ne alieno scelere detestentur.

174 Non tamen hæres tenetur ultra, quam fert hæreditas arg. c. In literis. de Raptoribus: ibi, Hæredes ejus moneas & compellas, ut iuxta facultates suas (id est, defuncti, ut ibidem bene advertit Glossa v. Facultates) condigne satisficiant. Et concordat l. Ex qua. ff. de R. J. ibi: Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.

Ceterum hæc obligatio restituendi premit hæredes, etiâ res usuraria ad eos in natura non devenirent, nec per illam hæreditas illorum fuerit acta, ut post Henricum Canisium de usuris cap. 7. num. 4. bene advertit Engel. h. t. §. 3. n. 3. quia de Jure Canonico hæredes ad exonerationem conscientie tenentur pro viribus hereditatis satisfacere cunctis illis, quibus per defunctum damnus illatum est; etiam si ex tali damno hæreditas acta non sit, arg. c. fin. de Sepult. & c. In literis 5. de Rapt. Et cum hæc res saltem animæ concernat, & ipsa ratio naturalis dicat, ut injuste lesus ex bonis hereditatis suam capiat satisfactionem, etiam quoad Forum Civile huic dispositioni Juris Canonici se accommodare debet, juxta ea, quæ diximus in Proximo. §. 12. à n. 219.

175 Limitantur tamen doctrinæ hæc tenens in casu, quo usurarii, vel hæredes illorum notorie pauperes, & ad restituendum impotentes existunt; hi enim, si sicut moraliter saltem non posse supponuntur, restituere non tenentur, donec ad pinguiorem fortunam pervenerint, l. Nam is. ff. de Dolo & c. Cum tu. 5. h. t. ibi: Dummodò in facultatibus habeant: & infra; Cum eos nota paupertatis evidenter excuset.

176 Queritur II. An etiam usura mentalis obliget ad restitutionem? ubi per usuram mentalem non intelligitur nudum propositum usuras accipiendi vel exigendi, sed actus ille exterior, qua datur mutuum cum intentione recipiendi lucrum vi ipsius, nulla tamen pacto externo superaddito, prout explicavimus supra n. 6. Resp. I. Certum est, usuram mentalem non inducere obligationem restituendi, si nullam lucrum vi mutui fuit subsecutum, seu si Debitor Creditori nullas usuras solvit.

177 Resp. II. Insuper si mutuatarius ex mera gratitudine, benevolentia, & liberalitate quidpiam dederit ultra sortem, nulla est obligatio id restituendi, quamvis tale lucrum mutuator intenderit principaliter, utpote alioquin non mutuatarius, nisi ob respectum mutuatarii gratitudinem tale commodum seu lucrum sperasset. Ita Pirhing h. t. num. 133. cum Navarro & aliis communiter. Ratio est clara; quia hic nil intenditur, neque recipitur vi mutui, sed ex mera liberalitate & gratitudine mutuatarii; unde nec intervenit usura mentalis.

178 Resp. III. Mutuator intendens lucrum recipere vi mutui licet sine pacto externo, committit usuram mentalem.

mentalem; & si quid accipiat ultra sortem, quod mutuatarius non ex mera liberalitate, sed tanquam debitum ratione mutui dedit; tenetur etiam in Foro animæ ad ejus restitutionem: Ita expressè habetur c. Consuluit. h. t. junctâ Glossâ ibid. v. Malè agere & omnibus Doctores.

180 Nec obstat cap. ult. de Simonia, ubi dicitur, quod qui nullo pacto, sed solo animi affectu Simoniam commiserunt, non obligentur ad accepti restitutionem, sed taliter Delinquentibus succiat per solam penitentiam suo satisfacere Creditori; & consequenter à pari idem videtur dicendum de usura purè mentali. Resp. enim I. Licet hæc instantia multum torqueat Doctores, disparitatis rationem esse; quia id, quod pro usura datur, coactè datur, id est, absque consensu præfinito pro viam contractus secundum se approbat; quod autem pro Simonia datur, sponte datur, id est, per contractum emptionis & venditionis, qui secundum se approbatus est, ut explicat Navarrus c. 23. Manualis. n. 105. §. quinto, & sequitur Vallensis h. t. §. 4. n. 3.

181 Accedit alia ratio disparitatis ab iisdem Doctoribus assignata. Siquidem in usura turpitudine solùm est ex parte recipientis; nam usura bene solvitur, sed malè recipitur: neque enim usuram solvere est peccatum, arg. c. Debitores, & de Jurejur. Econtra in Simonia est turpitudine ex parte utriusque, cum tam Simoniacæ dans, quam recipiens peccet, & malè agat: atqui in pari delicto potior est conditio possidentis, juxta Reg. 65. Juris in 6. cum Concordantis: Quod intellige, nisi aliud Lex specialis disponat; prout fit in Simonia reali, arg. c. de hoc. de Simonia, non etiam in mentali. Et hinc fit, quod in Simonia mentali non tenetur quis recipienti restituere, cum par sit sum & dantis delictum; bene tamen recipientem ob usuram mentalem, ubi dans est innocens, & abique delicto, quia melior conditio innocentis.

182 Fateor tamen non deesse Doctores, quos citat & sequitur Wagnerock c. Consuluit de usuris. volentes, quod usura & Simonia mentalis Jatis Divini atque naturalis ambulet pari passu, ac proinde etiam recepta per Simoniam mentalem Juris Divini sint obnoxia restitutioni. Unde ad cap. ult. de Simonia respondent, ibi esse sermonem de Simonia mentali Juris daturat Ecclesiastici, quæ non obligat ad restitutionem, si sit purè mentalis; cum Ecclesia de occultis & merè internis non disponat, neque jactet Quod autem ibi sit sermo de Simonia merè Ecclesiastica, desumunt ibi Doctores ex eo; quia agitur de pœnis dimissionis Beneficiorum Simoniacæ obtentorum, quæ solo Jure Ecclesiastico Simoniacis imposita est (nam hæc pœnam Deus non imposuit, sed Ecclesia) & ad quam noluit Papa obligare committentes Simoniam mentalem duntaxat. Eligatur responso, quæ magis placuerit; mihi secunda, & n. præced. allata præ cæteris placet.

§. X.

De Pœnis, & Judice Usurarum.

S U M M A R I U M.

- 183 Pœnas Uræ non nisi manifesti usurarii contrahunt primùm post sententiam declaratoriam Judicis. Usurarius manifestus quid sit? Ibid. 184 Usurarii manifesti pœnas sunt. I. Infamia. 185 II. Clericus usurarius privatur Beneficio, & fit inhabilis ad aliud.

- 186 III. Laicus usurarius subjacet excommunicationi & irregularitati. 187 IV. Privatur etiam sepulturâ Ecclesiasticâ. 188 V. Amittit partem sortis principalis. 189 VI. Est inhabilis ad condendum Testamentum, & ad assistendum eidem. 190 Sum præterea usurariorum variæ pœnæ Municipales, uti in Bavaria. 191 Licita & utilis praxis reddendi se immunens ab usura & pœnis illius tam quoad doctos, 192 Quàm indoctos præsertim in Germania. 193 Usura est mixti Fori non tantum, si est questio facti, 194 Sed etiam si est questio Juris. 195 Solvitur Obsectio. 196 Quando est questio de peccato, solus Ecclesiasticus est Judex.

183 Queritur I. Quenam sint pœnæ in usurario statutæ? Resp. Præter obligationem restitutionis Jure Divino debitæ, utroque Jure humano multas esse pœnas usurariorum, sive Clericorum, sive Laicorum, utroque Jure statutas; quæ tamen pleeræque solos usurarios manifestos, id est, Facto vel Jure tales, concernunt. Dicitur autem manifestus usurarius factus, qui palam exercet usuras, ita, ut nullâ tergiversatione id negare valeat. Jure autem manifestus usurarius dicitur, qui vel hoc crimen in judicio confessus est, vel de illo convictus; vel de eodem per sententiam Judicis condemnatus. Sylvest. v. usura. q. 9. 1. Menochius de Arbit. Judic. casu 235. à n. 9. & alii volentes regri in super sententiam Judicis usurarii manifesti, ad hoc, ut pœnas Juris incurrat, arg. c. Cum secundum. 19. de Hæretic. in 6.

184 Prima itaque eorum pœna est, quod usurarii manifesti sint ipso Jure infames, c. Infames. §. fin. 2. q. 7. c. Dilectus. 13. de Excessib. Prælat. l. Improbum. 20. c. quibus cau. infam. quæ tamen ipso facto cessat, casu, quo usurarius verè respicatur, ac restituatur. Felinus in c. 1. de Probat. n. 19. Salas de usuris. dub. 47. n. 1.

185 Secunda: Clericus usurarius, si monitus non desistat, ab officio & Beneficio deponendus, ac insuper ad illud recipiendum inhabilis est, arg. c. Præterea. 7. de usuris. cau. Inter dilectos. 11. de Excess. Prælat. can. Si quis 5. d. 1. 47.

186 Tertia: Usurarii manifesti, si Laici fuerint, excommunicari debent, utque dum debite satisfecerint, cit. c. Præterea. 7. h. t. & ipso facto irregulares existunt can. Marium. 2. dist. 33. can. Seditio. nes. 8. dist. 46.

187 Quarta est, ut usurarii manifesti non admittantur ad communionem Altaris (id est, ad perceptionem Sacramenti Eucharistiæ) nec Christianam, si in peccato decesserint, accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quispiam accipiat. Ita habetur statutum in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ac refertur c. quia in omnibus h. t. Quin imò c. 2. h. t. in 6. additur manifestis usurariis, licet mandaverint usuras restitui in ultimis voluntatibus, nihil minus Ecclesiasticam sepulturam esse denegandam, nisi prius de usuris (juxta quod patiuntur facultates) fuerit plenè satisfactum; vel secundum formam illius Decreti idoneè caveatur. Taceo alias usurariorum manifestorum pœnas, quæ cit. c. 2. h. t. in 6. & in Jure Bayarico lib. 2. der Land- und Policy-Ordnung referuntur.

188 Quinta est omisso quartæ partis de sorte Principali, quæ vigore Constitutionis Maximilianæ I. 1700. Caroli V. 1548. Augustiæ, & Rudolphi II. 1577. Francofurti edicte Fisco cedit.

189 Plures alie manifestorum usurariorum pœne comprehenduntur e. 2. h. t. in 6. ubi inter alia dicitur: Nullus manifestorum usurarium Testamentis interfuit, aut eos ad confessionem admittit, sive ipsos absolvat; nisi de usuris satisfecerint, vel de faciendis pro suorum viribus facultatum presentium (ut prœmittitur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurarium aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso Jure. Hæc ibi.

190 Præter hæc à Jure communi statutas pœnas usurariorum sunt aliquæ per Leges Municipales statutæ, quæ in suis locis videndæ, & observandæ in nostra Bavaria.

191 Ceterum, ut ex parte suprâ num. 61. & 62. in simili jam dictum, sicuti à culpâ, sic etiam à restitutione, & pœnis usuræ multi, præsertim doctores, se reddere pœnitentes, non tantum in casu, quo adest lucrum cessans, vel damnium emergens, aut periculum fortis, aut pœna ob moram imposita per dicta §. 4. & §. 5. sed etiam his absentibus, si nempe loco mutui emanat census, seu dunt per contractum emptionis sortem principalem centum florenorum pro Jure quinque annuatim percipiendi ex bonis Debitoris, idque sive redimibiliter, sive irredimibiliter per dicta §. 8. à num. 149. vel si id faciat, vel facere intendat per tacitum, vel expressum contractum Societatis, ut fieri potest in casu, quo sortem principalem dat ei, qui cum illa negotiatur, & honestum lucrum querit, ita ut hic præstet industriam, ille verò pecuniam hæc conditione, ut de lucro ex sorte principali centum florenorum acquisito tribuatur pars subministranti pecuniam, v. g. annuatim quinque.

192 Et quamvis indocti, & rudes præfatas vias & titulos usuram declinandi non sciant, ac intelligant, sed absque ullo justo, quem scienter, titulo quoque annuatim exigant ob sortem principalem mutuo datam, & in ipso contractu alium terminum non adhibeant quam mutui aufstleichen, leichen, anlegen &c. tamen à peccato usuræ, restitutione, & pœnis ipsius passim immunes censendi sunt: Tum quia bonâ fide procedunt, id faciendo, quod varios doctos & probos passim praticare vident: Tum quia licet hujusmodi indocti non adhibeant. nec adhibere valeant expressam intentionem & titulum ab usura exculantem juxta dicta; tamen quia merito censendi sunt contrahere modo. quo possunt de Jure meliori, eorum contractus non tam mutuum, quam emptio census, vel tacitus, aut expressus contractus societatis in re, & effectum judicari debent, etsi ob suam simplicitatem, & defectum notitiæ, terminum mutui adhibeant; præsertim cum verbum leichen seu mutuum dare, apud Germanos verbum valde generale sit, uti post Laym. lib. III. tr. 4. cap. 18. nu. 13. bene notat Engel h. t. n. fin.

193 Queritur II. Quis sit legitimus Judex Criminis usuræ? Resp. Usuras esse mixti Fori, ita ut tam Laicum, quam Ecclesiasticum de illis cognoscere, & judicare valeat, non solum si tantum Falsi quæstio, crimen verò liquidò usurarium est; sed etiam quando est Juris, seu quando disceptatur, num hic vel ille contractus usurarius sit nec ne. Prima pars de casu, in quo sola est quæstio Falsi, caret controversiâ, patetque ex c. Post miserabilem. 12. h. t.

194 Alteram partem de quæstione Juris tenet Farinacius Prax. Crimin. q. 8. n. 140. Menochius de Arbitr. Judic. casu 398. n. 4. Covarruvias lib. 3. Variar. Resolat. cap. 3. nu. 1. Sylvester v. usura. 9. princ. Pirhing h. t. n. 14. & alii contra Glossam in c. Cum sit. 3. v. Malefactores, de Foro compet. Clarum v. usura. n. 8. & nonnullos alios volentes cognitio-

nem quæstionis Juris, de hoc Crimine soli Judici Ecclesiastico competere. Probat Conclusio nostra: Tam quia à Jure Canonico nullibi invenitur interdictio Judici Laico cognitio usuræ in casu quæstionis Juris, sed positivè concessa c. Post miserabilem 12. h. t. ubi sine distinctione inter quæstionem Juris, & Falsi conceditur Potestati seculari facultas cognoscendi & judicandi usuras: Tum quia hoc Crimen non tantum Ecclesiastico, sed etiam Divino, & naturali Juri adversatur, nec plus spiritualitatis in se habet, quam Furtum, Homicidium, Adulterium &c. Quæ cognoscere & judicare, etiam secularem Judicem posse, nemo negat.

Nec obstant, quæ Adversarii objiciunt, Jura 195 ex c. 2. & c. Præterea. 7. h. t. Quia licet ex his probetur, Crimen non tantum seculare, sed etiam Ecclesiastici Fori esse, non tamen probatur, id esse solum Fori Ecclesiastici, præsertim cum resistat c. Post miserabilem. 12. h. t.

Dices: cognoscere, nam actus aliquis sit peccaminosus, solum Fori Ecclesiastici est, c. Novit. 13. v. Non enim de Judic. & c. Per venerabilem. 13. §. Nam si, qui filii sint legitimi; atqui in quæstione Juris agitur de solo peccato; ergo. Resp. Pertinere quidem ad solum Forum Ecclesiasticum, generali definitione decernere, quænam sint peccaminosa nec ne; hoc tamen non obstante bene potest Judex secularis cognoscere, nam hic vel ille contractus justus, vel injustus, Canonibus, & Legibus contrarius sit nec ne, ut citati Doctores bene advertunt.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

- 1 Quid Falsum? & quæ requirantur ad illud?
- 2 Committitur quatuor modis, scilicet Dicto, Scripto, Facto, & Ulu.
- 3 Dicto committitur, præsertim per testes in judicio dicentes Falsum.
- 4 Vel suppressiones verum: & quomodo?
- 5 Item, qui subornant vel corrumunt testes.
- 6 Ac ipsi testes dolose negantes, se recordari, vel obscure deponentes.
- 7 Item si Judex corruptus iniquam proferret sententiam.
- 8 Et Advocatus prodens secreta cause sui Clientis.
- 9 Scripto committitur Falsum, si quis falsum scribit Testamentum.
- 10 Vel dolose mutat nomen, cognomen, genus, parentes &c.
- 11 Vel sibi in Testamento inique scribit Legatum &c.
- 12 In Bullis Pontificis novem modis contingere potest Falsitas, & quibus?
- 13 An, & quando per errorem latinitatis vel rarum censetur falsum Rescriptum Pontificium? Remissive.
- 14 Facto committitur Falsum per diminutionem ponderis, vel mensuræ publicæ.
- 15 Per suppositionem partus alieni.
- 16 Item ab eo, qui mercem corrumpt.
- 17 Qui eandem rem duobus in solidum vendit.
- 18 Qui honorem vel gradum falso simulat, v. g. Sacerdotis, Doctoris, Notarii.
- 19 Qui falso alienis vitis Insignibus.
- 20 Qui vitis falsis constitutionibus.
- 21 Circa monetam Falsam committitur triplici modo.

modo, rempe eudendo sine legitima autoritate monetam justam.

22 Vel justum illius pondus minuendo.

23 Vel eudendo falsam.

24 Graviter etiam prohibetur, arte Alchimie conficere aurum, vel argentum.

25 Ulu, seu potius abusu, quo modo committatur Falsum.

26 Pœna committentis Crimen Falsi cujuscunque.

27 Pœna testis Falsum committentis in Judio de Jure Civili: Et n. seq.

28 Pœna testis Falsum committentis de Jure Canonico: Et n. seq.

Pœna destructionis in Monasterium hodie transit in pœnam trirremium, aut perpetui carceris.

30 Pœna Advocati.

31 Et Judicis committentis Falsum.

32 Pœna committentis Falsum in Scripto.

33 Pœna committentium Falsum circa Litteras Apostolicas.

34 Quæ stringunt, etsi ex Falso, nulli sequatur damnus.

35 Pœna Falsificantium pondera & mensuras.

36 Pœna Falsum supponentis partum.

37 Aliorum Falsiorum pœna.

38 Pœna Falsum committentis circa Monetam.

1 Queritur I. Quid sit Falsum, & quot modis committatur? Resp. I. cum Sylvestro v. Falsitas num. 1. Falsitas seu falsum est mutatio veritatis cum dolo & jactura. Triâ liquidem ad ejus esse requiruntur, videlicet primo ut pervertatur veritas, Novell. 73. in præfat. Secundò, ut id dolo malo fiat L. 1. & l. Lupatorem. 22. ff. & l. Nec exemplum. 2. C. de Leg. Cornel. de Falsis. Et tertio, ut Falsitas fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi forsitan impediatur, l. qui falsus 6. & l. Si Falsos. 8. C. eod. alioquin uno horum deficiente non tenetur quis pœnâ hujus Criminis, cit. l. Ne Exemplum. C. Leg. Cornel. de Falsis. cum Concordantiis.

2 Resp. II. Falsum, seu Falsitas committitur principaliter quatuor modis, videlicet Dicto, Scripto, Facto, Ulu, seu potius Abusu, Farinacius Prax. Crimin. c. lib. 5. sect. 16. q. 150 n. 6. Malcardus de Probat. Concl. 739. n. ult. Danthaud. Prax. Crimin. cap. 119. Pirhing h. t. n. 1. Engel h. t. n. 2.

3 Queritur II. A quibus dicto committatur crimen Falsi? Resp. I. Dicto seu verbo committitur Falsum per testes, qui falsum testimonium dicunt in judicio, vel verum suppressunt dolo malo. Hinc c. 1. h. t. dicitur Falsidicus testis uerque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodese non vult, & iste nocere desiderat. Idem habetur can. Quisquis. 11. q. 3. concordat L. 1. & l. Falsi pœna. 20. ff. de Leg. Cornel. de Falsis. Et hoc Falsum valde abominantur Jura, nam ut dicitur cit. c. 1. h. t. Falsidicus testis tribus personis est obnoxius: primo DEO, cujus presentiam convenit: dein Judici, quem mentiendi fallit; postremò innocenti, quem falso testimonio lædit.

4 Ubi tamen nota, quòd tunc testis occultandò veritatem censetur Falsarius, quando interrogatus à Judice super certo articulo falso dicit, se nihil scire; vel quando juravit, se cum pura veritate dicturum, quòd ad propositum scit, & nihilo minus eam tacendo suppressit. Secus est, si juravit solum simpliciter, se ad interrogata respondurum: tunc enim, si non interrogatus taceat veritatem, non tenetur Crimine Falsi. Farinacius Prax. Crimin. de Testib. q. 67. an. 230. ubi tamen occultantem verum excusat, si sine dolo id facit.

5 Resp. II. Ille quoque Falsi reus est, qui testem

subornat, vel donis aut pretio corrumpit ad dandum Falsum testimonium, vel occultandam veritatem, sicuti & qui vitis dicto testis Falsi, Clarus §. Falsum. n. 3. & 4. Pirhing h. t. n. 4.

Illum insuper testem Falsum esse, qui interrogatus respondet, se non recordari, cum debeat verosimiliter recordari: item si per malitiam & dolum respondet veritate & obscure, tenet Farinacius loc. cit. n. 224. Pirhing h. t. n. 4.

Resp. III. Eriam Judex verbo seu dicto committit crimen Falsi, & ut Falsarius puniatur, si pecuniâ corruptus, vel aliâ dolo malo contra Leges & Constitutiones Principum sententiam tollit, arg. L. 1. §. Sed etsi Judex. ff. de Legem Cornel. de Falsis.

Resp. VI. Falsi adhuc reus censetur etiam Advocatus, qui parti adverse causam prodit, & vel propriis probationibus dissimulat, vel falsis exceptionibus, aut probationibus admittis partem adversam directè vel indirectè juvat, Pirhing h. t. n. 8. Hauloldus Tom 6. tr. 2. n. 180. arg. l. 1. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Falsis, & l. 1. §. ad S. C. Turpil.

Queritur III. Quot modis crimen Falsi committatur Scripto? Resp. I. Ad committi ab illis, qui Testamentum vel aliud Instrumentum falsum scripserint, signaverint, recitaverint, subjecerint, vel signum adulterinum fecerint, vel spererint, vel expresserint scienter & dolo malo; ut dicitur §. Item lex Cornelia, de Falsis. Inst. tit. de public. Judic. cum Concordantiis ibidem à Glossa relatis.

Resp. III. Inter Falsarios numeratur, qui nomen vel cognomen, genus, vel parentes sibi fraudulenter mutaverint, l. Falsi ff. de Leg. Cornel. de Falsis ibi. Falsi nominis vel cognominis assereratio pœnâ Falsi coercetur. Intellige, si hoc fraudulenter fiat: nam mutare nomen vel cognomen sine aliqua fraude, libero homini licitum est: si nullum inde capiam præjudicium fiat, ut expressè habetur L. un. C. de Mutatione nominis.

Resp. III. Tenetur pœnâ Falsi, si quis in Testamento iniuste sibi adscriperit Legatum vel Fideicommissum, arg. l. Si quis Legatum ff. de Leg. Cornel. de Falsis. Item si falsis literis aliud in locum ejus, quòd scriptum erat, scribat, prout contingit c. Olim. de Rescriptis: modò id fiat in loco suspecto; nam rasura in loco non suspecto non probat Rescriptum falsum, c. fin. h. t. sed mox occasione hujus specialiter.

Queritur IV. Quot modis possit contingere Falsitas circa Bullas Pontificias? Resp. I. Novem modos falsandi Litteras Papales referri c. Licet h. t. qui tamen plerique consistunt in diversis Artificiis radendi ex parte, vel toto Litteras Pontificias, aut vera Sigilla falsis literis apponendi, ut patet ex textu, ibi: Ut autem veritates falsitatis circa nostras Litteras deprehendere valeatis eas, vobis presentibus Litteris duximus exprimendas.

Prima Species Falsitatis hæc est, ut falsa Bulla falsis literis apponatur.

Secundâ, ut filum de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immittuntur falsis literis inseratur.

Tertiâ, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur incisum, cum vera Bulla falsis literis immittatur. Sub eadem plicatura cum filo similis canapis reseraturum.

Quarto, cum à superiori parte Bullæ altera pars filii sub plumbo resinatur, & per idem filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum.

Quinta, cum literis bullatis & redditus, in eis aliquid per rasuram tenuem immittatur.

Sexta, cum Scriptura litterarum, quibus fuerit apposta vera Bulla, cum aquâ vel vino universaliter abolita, seu deleta, eadem charta cum calce, & aliis juxta consuetum artificium de labata de novo describitur.

Septimâ, cum charta, cui fuerat apposta vera Bulla totali-